Lukaszkiewic Matthaei Mich: Comes divinae sapientiae.

COMES
DIVINÆ SAPIENTIÆ
DE
COMITIBVS
D. THOMAS AQUINAS,
DOCTOR ANGELICUS;
Redeunte Annua suæ Solennitatis die,
In Augusta Sanctissimæ TRIADOS Basilica
Ordinis Prædicatorum
Celeberrimi Conventûs Cracoviensis,
Oratorio Cultu
à
M. MATTHÆO MICHAELE
ŁVKASZKIEWIC,
Philosophiæ DOCTORE & PROFESSORE,
Contubernij Hierosolymitani SENIORE,
CELEBRATUS.
Annô Quô
ReX DeVS InstItVIt LapsIs CoMes Ire saLVtIs.
Die 7ma Martij.

CRACOVIÆ.
Typis, Jacobi Matyaszkiewicz, S. R. M. Celsissimi, Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, Ordinarij Typographi.



Cælitùs undatur SRZENIAVA Polonus in Orbe,
AQVINATIS Lymphæ, Phœbus origo manet.
Profluit, hic, in Quo summi voluunt honores
Hos Fortuna suâ pellit & ecce manu.
Cernitur in dextris Lucinæ fascia pansa,
Vt fasces NATO, stringat adesse suo.

CELSISSIMO PRINCIPI
GASPARO
MELCHIORI
BALTHASARO,
CELSISSIMI,
Illustrissimi, & Excellentissimi Domini
D. THEODORI
COMITIS in WISNICZ & IAROSŁAW
LUBOMIRSKI,
Sacri Romani Imperij PRINCIPIS,
CAPITANEI SCEPUSIENSIS,
Exercituum S. C. M. GENERALIS,
Magnæ Spei
FILIO,
DOMINO DOMINO
Mecænati Amplissimo.

COMES *de Comitibus Divinæ Sapientiæ THOMAS, ex umbris religiosis prodiens in lucẽ, ad Tuas properat Cunas, Illustrissimæ Lucinæ Fascijs involvendus.* CELSISSIME PRINCEPS. *Altiùs enim ab incunabulis*

Tuis, quàm à suggestu Oratorio Ejus resonabunt laudes, quas toto Orbe ferent, qui Tibi Nato applaudunt: Omina quæ Patria concipit: gaudia quæ exultans SRZENIAVA sideribus fluctu gestiente infert: voces quas plaudentium animi festivas attollunt, materiam elogiorum THOMÆ, Tuo consecratorum Nomini ampliorē dabunt. Prospicit ab alto Aquinaticus Phœbus, Tuoq; in Ortu Principum rubente Purpurîs videri gaudet, ut major Orbi appareat. Spargit auricomos in Srzeniavam radios, unde geminatum splendorem in Vniversum reflectat copiosiùs. Thomistico qui adhæserat pectori, infantilibus Tuis alligatur Cunis, ut suæ immaturæ, quas dixi, laudes, unà tecum agitatæ, incrementum cum annis sumant. Parum est, quòd ad formandam Angelici Doctoris panegyrim, de fontibus Oratorijs dictionis stillavit latex; sed ubi Aquinaticæ undæ, Celsissimo se se insinuant Fluvio, totum cum laudibus suis diffundentur in Orbem. Cælo namq; cognatus amnis, ut gratô Superis decurrit susurrô, sic terras beatiores reddit. Olympicos ab alto fluens movet pulveres; furentis in Arena Gradivi ut hostes

obru-

obruat; Poloniam pretioſiori quàm Gange-
tico obryzo ditet. Felicior Nili Accolis Sar-
maticus Orbis, quem tam fœcunda Celſiſſi-
mæ Srzeniavæ fluenta alluunt; hinc Regnũ
floret, victrices palmæ creſcunt, meſſis glo-
riæ colligitur abundantior. Rubiconẽ hunc
Barbaricæ, quarum toties cruorem bibit,
Gentes reformidant, Purpurati amant or-
dines, æſtimat Vniverſus. Libertas Polona
ſecurior in alto Illius, cujus candorem in i-
magine ſua contemplando ſtetit: ſoli hoſtium
tumentes animi rubore Ejus ſuffuſi, naufra-
gium patiuntur; ipſa Patria tanto flumine
plus quàm nectare Deorum vivit, & aure-
um menſurat ævum. Magnum ſæcula vi-
derunt ſemper Srzeniavam, quia magni Æ-
neæ & Romuli ſangvis eſt, in Oceanum
deſinens, qui poſtquàm inundavit Orbem,
ex eo Duces, Reges, Principes, Cæſares e-
manarunt, nunquam tamen exaruit, etiam
nunc impleturus terrarum Solia, primiſq;
Regnorum tingendis ſuffecturus purpuris.
Eodem Tyberi, quô Reges Gentium cum
Druſo Lechi Comite, in Campos Sarmati-
cos emerſerunt Viri LVBOMIRSCII, Prin-
cipum Mitris, Ducum Clavis, Senatorum Cu-

rulibus assveti. Eorum Nomina non numero, sed ut Numina veneror; Quorum longus syllabus à DRVSO Imperatorum Sangvine, ad Heraclium Drusum Supremum Exercituum Ducem, ab Hoc ad Posteros primîs semper honoribûs insignitos, deducitur. NICOLAVS DRVSVS Palatinus Crac: Paternæ virtutis Princeps. ADRIANVS de LVBOMIRZ COMES Drusus Vexillifer Crac: ut Nepos; sic in Filijs suis IOACHIMO IACKONE Viris magnanimis: PRÆCLAO in Lubomirz Comite Castellano Woynicensi, probitatis suæ & Bonorum hærede à Majorum dexteritate non degener. PETRVS Archiepiscopus Gnesnen: IOANNES Castellanus Visliciẽsis; Hic Senatorum & Charitum Domicilium: Ille Caput Primatialis Honoris & Fundamentum, ambo Comites LVBOMIRSCII, ambo firma Celsissimæ Domûs columina. MARCVS Comes in Lubomirz Palatinus Sandomiriensis, Custos legum integerrimus: in acie Martis imperterritus Heros. PAVLVS Palatinus Lublinensis quid sit LVBOMIRSCIVM esse, ostendit Filio ALBERTO Succamerario Crac: hic suo IACOBO Castellano

lano Sandecensi, omnes Patriæ. SEBASTIANVS *Castellanus Sandecensis; deliciũ Senatûs Purpurati, Orbis Poloni stupor.* CLEMENS *Castellanus Crac: S.R.I.* PRINCEPS *caris Pignoribus,* IACOBO, *annis & meritis maturo inter arma consenescente,* LIVIO NICOLAO *Archiepiscopo Gnesnen: literis & zelô Religionis innutrito, ad Concilium Constantiense Legato.* Druso-LVBOMIRSCIVS CAPITANEUS *Iaslensis S.R.I.* PRINCEPS, *Dux Exercituum Regni, quantum* SIGISMVNDI AVGVSTI *cordi adhæsit, quàm fidelis,* LVDOVICI *Hungariæ Regis contra Solimanum belli comes extitit, heroicæ dexteritatis documenta probârunt.* SEBASTIANI Comitis *in* Wisnicz *&* Iárosław *S. R. I.* PRINCIPIS, *Castellani Woynicensis, Sandomiriensis, Dobczycensis, Malogostensis, Scepusiensis* CAPITANEI *generosos ausus sub* RVDOLPHO II. *Imperatore: sub* SIGISMVNDO III. *in expugnatione Smolensci fama publicat Martialis. Divorum Templa, festiva voce suum Numam pium & liberalem deprædicant. Et si laus Patris in Filijs;* SEBASTIANI *in* STANISLAO *&* IOACHIMO *maxima.*

Hic Dobczycēsis, Lipnicensis, Tymbarcensis Capitaneus, à teneris Bellonæ Comes individuus, in arma semper ruere paratus, ni Iuvenē, Heroëm fata sæculis inviderent. Ille Cracovien: Palatinus, Scepusiensis, Niepołomicensis, Zatoriensis, Dobczycensis Capitaneus, Minoris Poloniæ Generalis, ubiq; Dux Magnus, Miles strenuus, lingvâ tonans, manu fulminans, vincere hostes, Numen devincere scivit, ut pateret, quanto amori Ei Religio fuerit; Cujus admirandam dexteritatem à FERDINANDO III. Imperatore, S. R. I. PRINCIPIS titulô coronatam, augusta præcelsæ Claritudinis Nomina, ALEXANDER, GEORGIVS, CONSTANTINVS prætulere. CONSTANTINVM Regni Pincernam Superi, quibus sua virtus terris amabilis placuit, & in ambrosiam cessit, fatis vitam citò eripientibus, in consortium traxere Cælitum. ALEXANDER Comes in Wisnicz & Iárosław, S. R. I. Princeps Palatinus Cracov: sic se in Orbe Polono gessit, ut ALEXANDRVM decuit, & magni Nominis sui gloriam, gravitate morū, prudentiâ animi, boni publici amore ampliatā, quam Sarmatia non caperet, per Filium IO-

SEPHVM

SEPHVM *Archimareſchalcum Regni propagavit & auxit.* GEORGIVS *S. R. I. Princeps Comes in* Wiſnicz *&* Iárosław, *Archimareſchalcus Regni, & Dux Exercituum Campeſtris, Minoris Poloniæ Generalis, medius inter Fratres,* Pro-Avus *Tuus, Cujus operum & meritorũ magnitudo, nec ſatis ab Oratore profano exprimi, nec animo comprehendi valet. Purpurà & Sceptrô dignus, niſi majus eſſe Regna mereri, quàm poſſidere, documentô probaſſet. Admirati hoſtes tanti fortitudinem Ducis, quô in Martis acie visô toties ceciderunt. Moſchorum ad Cudnow ſexaginta millia aut cæſa, aut ſub jugum miſſa: Coſacorum ad Piątkow & Słobodyſzcze quadraginta millia, Tranſylvanorum ad Oſtrow viginti millia deleta. Gravis erat vel ſola Illius Fama Harpijs Tauricanis: gravis Odryſio Tyranno adhuc ſua vulnera ex Chocimenſi clade lambenti, gravior Vandalico Neptuno, quẽ ferrô caſtigavit. Gravitas hæc Magni Ducis, non ſine invidia virtutis comite, profuit Majeſtati & Patriæ; quæ eò tantùm ferebatur, quò boni publici pondus, & honeſti amor inclinabat. Paterna virtus diffuſa in Filios,* LVBO-

MIRSCIANÆ Domûs *ſplendorem auget.* STANISLAVM *Archimareſchalcũ Regni* Avum *Tuum, indefeſſum Lechici Orbis Atlantem, conſiliis Fabium, gravitate Catonẽ, imò his majorem Gens ſtupuit Polona. Quot Ejus opera exquiſitiſſima, luci & bono publico data legit poſteritas, tot bibliothecas habet.* HIERONYMVS *Caſtellanus Crac: Supremus Exercituum Regni Dux, Archimareſchalci Germanus Frater, Heroũ exemplar & gloria. Quæ geſſit, viginti conſlictus & victoriæ, unde barbarorum flagellum vocari: innumeri pro bono communi indefeſſi labores, unde Pater Patriæ dici meruit; teſtantur. Filiorum ternione felix,* GEORGIO *Notario Regni Campeſtri, Boguſtavienſi Capitaneo, ad arma Bellonæ, ad ſubſidia Patriæ nato.* IOANNE *Bolimovienſi Capitaneo,* ALEXANDRO *Enſifero Regni, Capitaneo Smotricenſi; Hoc animorum & hoſtium victore, Illo ad dexterrima quæq; Præcurſore.* ALEXANDER *Capitaneus Sandecenſis, Periaſtavienſis, ut fraterno Sangvini, ſic magnanimæ virtuti* LVBOMIRSCIANÆ *reſpondens, brevi vitæ ſpatio immenſum gloriæ attigit culmen; ſed quia ſummis*

ſtare

ſtare diu negatum eſt, ſatis cedere debuit. Vivere tamen optabat in caris Pignoribus IOSEPHO *Nominato Epiſcopo Chełmenſi, Abbate Tynecenſi, eò ſublimioribûs digno honoribûs, quò modeſtiore.* MICHAELE *Subdapiſero Regni, Capitaneo Periaſtavienſi, in* DEI *cultum & Patriæ bonum effuſiſſimo; niſi & hos fata citiùs ſuſtuliſſent è vivis. Vivit adhuc in* GEORGIO *S. R. I. Principe in Wiſnicz, Iaroſtaw, Koniecpol, Szarogrod, Iazłowiec, Raſzkow, Comite, Ducatûs Roſinenſis hæreditario Domino, Palatino Sandomiriẽſi, Generali Velt-Mareſchalco Exercituum S. C. M. Sandecenſi Capitaneo, Achille Polono, Imperatorum Romanorum amore, exterarum Gentium delicio, Fidei Propugnatore, Sarmaticæ Rei Statore, Senatore.* THEODORVS *S. R. I.* PRINCEPS CAPITANEVS *Scepuſienſis S. C. M. Exercituum* GENERALIS, PARENS *Tuus Digniſſimus, omnia decora quæ ſunt in Majores diviſa, & quæ fecere beatos ſolus animô complexus. Nomen à dono* DEI *derivatum,* THEODORVM *manu validum, conſilio potentẽ, ut exotici mirantur ſoles, ita*

Polonæ reverenti intuentur pupillâ Aquilæ, Cujus de Capite Minervam nasci, bono publico faventissimam, extra commentum stupet Orbis, quoties cum oris Majestate oracula pandentem audit. Musæ hìc domesticæ sunt, eo sacratiores, quò Entheum Diviniorem spirant. Svada prædulcis Lacones & Atticos triumphans, ambrosia Superum. Solida rerum argumenta, non tam fluenti & refluenti Aristotelico Euripo, quàm Ipsius Numinis innixa effatis. Ipse Cæsarum, Principum, Majestatis Serenissimæ deliciũ, ad Comitia LEGATUS, *Moderator prudẽtissimus, Nobilitatis Conventus, fluxibûs & refluxibûs turbidos authoritate dictorum, rationum pondere, ut inclinare, sic pacare consvevit. Summâ prudentiâ, generosa activitate, ferventi zelo functiones agit gloriosissimas, adeò, ut omnes, ab arbitrio Ejus pendere videantur. Tantum Patrem Patriæ, nec Majorum Ceræ, nec solida eruditio, nec ipsa corporis species digna imperiô attollit; sed virtus in quo prædominatur, moribûs gravem, nemini molestum, omnibus affabilem, animô sublimem, non elatum reddit.*

Pul-

Pulsat fores egestas, accipit beneficia; occurrunt lachrymæ, adsunt præstò solatia; nulla calamitate mobilior Aurelius hic, quàm aliena. Quocunq; pedem movet, aurea secum revolvit sæcula, Vrbes ridere, DEO sacratas Ædes magnificentià suà superbire, Xenodochia indigentiæ oblivisci, omnes ut beatà vità fruantur, suà munificentià facit. Auxerunt felicitatem Regni FRANCISCVS *Legionū Præfectus, Qui Fatis in spolium cessit, glorià superstes.* IOSEPHVS *Palatinus Czerniechoviensis*, Domus Illustrissimæ *decus & Patriæ ornamentū. Non ampliùs progrederer, ne in profundum immensarum laudum Icariæ sonitum ruinæ experiar, sed me impellunt, qui incrementa dedêre pretiosi fluctus. Amazon Sarmatica* ELIZABETHA *ex* DONHOFFIIS Avia *Tua, quæ famam suam altiùs in Orbe extulerat, quàm ex toto videri possit.* Celsissima *Nympha, Sacro fædere ad* Srzeniavæ *Vndas allecta* ELIZABETHA *ex* CVMINGIS, *in Regno Scotiæ Viris dexteritate, meritis suis Illustrissimis, ac præclaris honoribus celeberrimis*, Parens *Tua Dignissima. Cujus*

jus dotes tantâ Heroinâ dignæ forma & animi elegantia sexum suum exornant, & quasvis adæquant Pulcherias. Prudentiæ Majestas, quâ vel Pallas ambiret: oris affabilitas, qualē allocutura Deos optaret Iuno: vultûs modestia, quam ipsa virtus indueret, præcellentissimis donis, pietati, Sanctimoniæ, morū gravitati intenta. Confluunt ad Oceanum Magni Sangvinis Tui Serenissimarū, Celsissimarum, Illustrissimarum Familiarū Nomina, *feruntur & eminēt Avita Insignia SOBIESCIORVM Campi, victricibus palmis & laureis virentes WISNIOWIECCIORVM SIENIAWIORVM Splendidissimæ Lunæ, SANGVSZKORVM, CZARTORYISCIORVM, bellicosissimi Equites, WIELOPOLSCIORVM generosus Pegasus, RADZIWIŁORVM, & IORDANORVM Tubæ Vocales, POTOCCIORVM Pilava triumphans, KONIECPOLSCIORVM nitidissima Solea, IARŁONVM Ascia hostibus minax, MAŁACHOWSCIORVM Fascia in Orbem gloriæ se se sinuans, OPALINSCIORVM Argo*

pre-

pretiosis onusta mercibûs, MNISZKORVM *gemmeæ pennæ*, BRANICCIORVM *Swoboda suæ & Patriæ libertatis gloria*, BILINSCIORVM *Magnanimus Iunoßa*, BOKVMORVM *Orbis sphæricus*, SZEMBECCIORVM *vernantes Rosæ*, DEMBINSCIORVM *Virago decora, cæteriq; pretiosissimi Coronæ Regni uniones*, Srzeniavam *Cui per connubialia immersi vota, magnitudine sua adaugent. Hoc in alto Tu emines* Celsissime & Illustrissime PRINCEPS, *quem Poloniæ pretiosa tanti Fluvij tempestas, cælestium favorum impulsu ad promontoriũ Magnæ Spei tulit. Non invidemus sæculis, nascente Iove gemmeos in terram profluxisse de cælo nimbos; satis est felicitatis Polonæ, cui Tu inæstimabilis Principiũ Mitris inserendus ades unio. Non ampliùs aureis Pactoli ramentis, aut Pygmalionis indigebit opibus Lechicus Orbis, tantô pretiô* Celsissimi Srzeniavæ *dives. Phæbus Aquinaticus novam rerum faciem in Orbe Polono Te Nato observans, candidis se se involvit folijs, & in Tuo conspectu explicat, ut à Te*

visus miretur Tuam quæ cunctorum exhilarat animos, ora in vota resolvit, pulchritudinē. Applaudit ergo Tuo Natali THOMAS ANGELICVS DOCTOR, *Innocens Innocenti,* COMES *Comiti, Torquem Aureum, quô retinet solem, Tuis fascijs adjungit, ut Quos* Celsissimus Srzeniava *vehit, Fortuna impellit,* Illustrissima *Lucina involvit, fortiùs Tibi longa annorum serie connectantur honores, precatur*

CELSITVDINI
VESTRÆ

Devinctissimus Cliens
& humillimus Servus

Author Operis.

ORATIO.

BEnè est, quòd Aquinaticus Titan diem sibi Mercurij ferat & accendat. AA. Vt etenim Oratorius in laudes Divinissimi THOMÆ formetur progressus, comite Mercurio opus est, ut Ejus gemmei explicentur sensus, aureo hujus utendum ore. Nititur imbellis eloquentia oratorio excitata impetu, in sublime Thomisticæ laudis evolare fastigium, hoc cælo conterminum alto, non aliter quàm Mercurij instructa alîs poterit occupare. Intimatum à Rege Regum Crucis è Solio THOMÆ elogium, quis vocaliùs proclamaret? quàm ille, qui Superûm præconem agit. Celerem hunc si eruditorum impellunt calami in dandis Divorum responsis, hoc

hoc in paſſu ſuccurret, quomodo ſolenniori THOMÆ feſto, quomodo Aquinaticis laudibus reſpondendum. Divinô ille præditus ingeniô, & eloquiô potens, noverat perbelle motos animorum componere fluctus, diſcordeſq; unire Cives, THOMAS quidni ab eo laudetur, qui tot furentes veſana ſævitie contra Chriſtianum Orbem diſſipavit hæreſes. Dicendum eſt de Aquinatico Sole, quomodo cæleſtes deſerens ſphæras ſuæ capaces magnitudinis, intra exiguum THOMÆ arctatur pectus, neve inde moveat greſsum aureo torque mancipatur. Dicendum, cur & quomodo, curſu ſolito remorans in THOMA ſuam fixerit ſtationem? velox ingenij Mercurij motus utpote individui Aſtrorum comitis ſuum dare ſenſum non negabit. Quòdſi THOMAS ipſo vocis etymô myſteriorum DEI Abyſsus eſt, illius metiri profunditatem quis audebit? niſi forſitan ille cui talaria adſunt & totus alatus. THOMAM Divinæ compendium ſapientiæ quis ampliori celebrabit panegyri? quàm Ille qui omnis eruditionis inventor appellatur. Hic de pennis Ejus doctiores ad ſcribēdum THOMÆ elogia veniunt calami, ad excitandum

ſervi-

fervidiorem in Oratore ſpiritum ipſæ non deſunt alæ, velocitas quâ innatâ pollet, non tardo paſſu in Thomiſtica ire jubet encomia, ut hoc incaleſcens Orator motu, minimè Martios brumæ timeat algores. Verbo; dictis animoq; favet hodierna Mercurij dies, qui pro laudibus THOMÆ hunc Oratorium paratus involare ſuggeſtum, ni eum priùs occupaſſem. Ad Summam prædicandam THOMÆ quis in ſummo poterit eſſe Orator, quæ ulteriùs ire nequit niſi aliquid quærat poſt omnia. Ad laudandum Angelicum Doctorem quis humanus ſufficiet genius? ni fortè illîs inſtructus pennîs quæ divino agitatæ ſpiritu calamum ex ſe non negarent. Quomodo ad THOMAM cum Rhetoricis accedendum elogijs? dum fulgens in pectore Ejus perſtringit lumina Titan, cerni aliter nequit, niſi forſitan ſub velamento alarum Mercurij. Motus ingenij THOMÆ qui ſemper ad mentem Cæli agitatur Oratorium excedit captum, rotundas tranſcendit periodos. Annuîs revolutionibûs, moventur plurimæ de THOMA quæſtiones, nullus tamen adeò perfectus adeſt Orator, qui reſpondeat elogiorum quæſtioni. Hinc

 THO-

THOMAM aut Solis Angelis laudandum, aut hominibus Angelicas lingvas tribuendum neceſſe. Optimè Cælum diſpoſuit, novit ampla THOMÆ elogia, tenuem dicentis facundiam novit, neve aliquid deſit Oratori, Mercurij diem induxit, ut totus ex illo Rhetoricus petatur apparatus. Sic audentiùs comite Mercurio in Thomiſticas abeundum laudes, nec in Oratorio tractu tenebræ timendæ, ſtare utiq; THOMAS Sanctior Ioſue fecit in pectore Solem, dum pro Ejus venit certandum honore, hic in tenebrionem animum lucidos gratiæ reflectet radios. Nobiliores Aquinaticæ undæ augent Oratorios fontes, ut ſonantiùs cum laudibus Thomiſticis, in animos influant audientium. Et ſi cum intenſo animo argumentorum rumpantur fila, Thomiſtico facile ligantur torque. Præit cum accenſa tæda Dominici catulus, cæleſte eum dicerem ſignum, quod comes Oratoris Mercurius fecit ſibi famulari, ne in denſis THOMÆ elogijs contingat aberrare. Iam ergo Oratorio celebrandum ſermone aggredior THOMAM, & ne præ innata modeſtia, à ſuis laudibus Angelicis avolet pennis, comes alatus præſtò Mercurius adeſt.

deſt. Vellem cum profunda ſubmiſsione loqui THOMÆ, aſt Illum in continuo video motu, aſsiduò currit THOMAS, cæleſtem ſequitur Magiſtrum, ſuîs eruditîs calamîs fertur ſemper in Superos. Nullus Ejus ſenſus, Angelico non prolatus ore, omnis THOMÆ ad Divinam Sapientiam acceſſus, à qua nunquam receſſit, propiorq; ut alijs foret, omnium ſingulas comprehendit mentes, ita Ipſe ad mentem æternæ futurus Sapientiæ. Et hinc totum eſt, dum Diviniſsimus THOMAS AQVINAS COMES Divinæ Sapientiæ de Comitibus Oratoriô ſtylô declarabitur. COMES es DOCTOR Diviniſſime, iter laudum tuarum arripienti Oratori Tuâ aſſiſtas gratiâ, ire quò vis jube, Tuum reſpicit velle, ejus ne ſperne intentum. THOMAS COMES Divinæ Sapientiæ, iam famulantem ſibi habet Oratorem, major Ei accedet pompa, ſi veſtrum in benevola attentione habebit comitatum, quem poſcit Oratio.

NOndum Orbis erudita virentes lauro adoraverat frontes, nondum erat capaciſſimos Muſarum contemplatus animos, iam

nimiô ſciendi accenſus deſideriô, primus de Comitibus Sapientiæ ſtuduit vocari COMES. AA. Ambitioſa equidem hæc vagientis adhuc in cunis Mundi tentaverat mentem cupido, ut non tam benè, quàm altum ſaperet, cæteris in ludo literario præripiendo palmã, vel quos buccinante ore Dijs pares Ioveſq; terreſtres amica publicaret fama comitando. Studuit ſatis ardenti conatu, imò in umbroſum infans receſſit Paradiſi lucum, ut avidiùs ſpecularetur, quos ſub arbore ſcientiæ boni & mali comitari deberet Alumnos. En quàm eluſus crepũdijs infantilibus puer Mundus, plùs deſipuit, quàm didicerat in ſylva ſcientiarum, pernitioſum diſcendi modum alliciente pomo comitatus. Vnum malũ quantum Orbi attulit malum, in poſteros comites derivatum. Primus ille Authoris malorum comes, Principem tenebrarum ſequi docuit mortales, inſtructor peſſimus, Diſcipulos pejori exercuit in arte, quam vix primîs tetigère labrîs, pocula Stygis hauſiſſe obſervati. Rudis hæc, nimiùmq; pernitioſa diſcendi norma, fatalis regula, cui Mundus vanô incumbit ſtudiô. Quid eſt? velle tumida mente nullo virtutum ſuffragante ſtimulo, ſolo vi-

tiorum

tiorum creſcente acervo, in ſublime ferri. Quid eſt? optare Pygmalionis inhiare opibus, aut Ditis pulſo pudore, ſacræq; Themidis ſuppreſſa lance,congregatos nūmos ut Numē colere. Quid eſt? Sibariticîs modo ſua quemq; trahat voluptas intendere frui lenociniîs. Studia hæc inſanientis mundi ſunt, quorum tot numerantur comites, quot nefandorū mancipia, quot furentis Erebi ſodales, quot ſuorum amicos periculorum Orbis complectitur Vniverſus. Sed quorſum cum ſequacibus mundanorum ſtudiorum pergo? quorum inanes conatus doloſæ plenum opus aleæ ſunt, curſus ad interitum, terminus in profundo Averni. Gradum revoco, Comites Divinæ Sapientiæ ſequor, quæ ſupernas ducit ad auras. Terrent quidem veſtigia Viarum Ejus, quæ videntur aſperiora, ſed in amæna tempe dulcis Patriæ tendunt. Terrent inſenſi cum quibus luctatur hoſtes, ſed reportandæ victoriæ delectat æterna laurus. Per ſpinas illa ſuum abſolvit curſum, ſed de quibus immarceſcibiles pullulant roſæ, more palmari, gravi cæleſtium curarum fatigari mole, variîs premi ſvadet ponderibûs, verùm ut nobîs ipsîs altiùs aſſurgamus. Amara meditari ſti-

mulat, ambrosiam Superûm tenerioribus instillat mentibus. Sublimia semper cogit subire munera, eos tantùm gaudet videre comites, quibus supra communem viventium sortem datum est eminere. Adsunt præstò quos Christianus veneratur Orbis magni in Ecclesia DEI Doctores, qui cælestibus repositam arcanis mentis acumine penetrarunt Sapientiam, ac summis involutam mysterijs resolutô explicuerunt animô; his tamen de Comitibus principalior COMES Divinissimus THOMAS adorandus. Quasi post omnes unicus supersit Aquinas, in quo omnium patuêre mentes, imò si in illis aliquando cernebantur obscuræ, in THOMA clariores observatæ. Eruditos plurimi ubi terminârunt labores, THOMÆ inde impetus ad maxima erat, eò mentis pervenit velocitate, quò nemo præiverat. Ad infantiles Ejus Comites vos invito cunas, in quibus non Illum ita pueriles stringunt fasciæ, ne Divinæ COMES prodeat Sapientiæ, imò suo agitatu iam Eum COMITEM impellere videntur, nisi adhuc ligari debeat, ardentem Ejus quô Divinam comitetur Sapientiam arcendo conatum. Insigni Aquinatica de qua Dij ipsi, si iterum eos

naſci contingat, prodire vellent ad vitam editur Domo, iam ad curſum æternæ gloriæ deſtinatur, ſuam de Comitibus trahit originem ut non immeritò ipſe COMES de Comitibus Divinæ Sapiētiæ nominetur. Patre LANDVLPHO Matre THEODORA prodit in Orbem, Qui antequam prodiret, iam Divinæ Sapientiæ COMES intra denſam auditur Eremum, & anxiæ Matri ab Eremita Bonus dicto pari omine intimatur. Divinam Bonus Anachoreta contemplabatur Sapientiam, Illam intra librorum & arborum mente revolvebat folia, quâ ſimul & THOMAM ut COMITEM Ejus meditatus. Aſt quid eſt? quòd naſciturus THOMAS non priùs luci publicæ quàm denſæ patuit Eremo. Optimum inde præſagium eſt, utiq; nulli adeò involuti ſenſus futuri erant, qui à THOMA mirâ non ſolverentur facilitate, nullæ ejusmodi umbræ, quæ Aquinaticæ non cederent luci. Nec mirum eſt, quòd nunc ad Arbores ſonet Puſio, ex quibus tandem in Cathedris DOCTOR intonabit; aut quòd de iſtius Orbis nemore diræ hæreſeos monſtra Dominici catulo inſectaturus eſſet. Totum id perfecit THOMAS, qui ad virtutem editus in-

tra eam adolevit maturuit intra gloriam, intra quam nobiliorem vitam vivere visus. Infans THOMAS est, nil tamen in eo puerile apparet præter annos, animus ad magna natus, mens cælestibus desiderijs plena fertur semper in ea, quæ Illum COMITEM Divinæ remonstrent Sapientiæ. Svaderē ego THOMÆ Sacratioribus animum consecrare studijs, dum Divinæ COMITEM agere prætendit sapientiæ, necdum dixi, iam THOMAS egit, dum priùs in Angelicas, quàm humaniores fertur literas. Ad conspectū Marianum Ave tenellos gressus Pusio movet, ad Eam festinat quæ Gigantem ad currendam viam, Cujus THOMAS futurus COMES erat universo intulit Orbi. Vidit inquam folium Angelicô plenum eloquiô, quod Divinæ Sapientiæ conceptus erat, ne frustra Ejus COMES in terris foret, illud arripit, suo admovet ori & ut reverentiùs observet, pectoris sui arcano claudit. Tantô Angelicæ salutationis alimentô effecit, ut Angelicus evaderet DOCTOR, ut Divinæ Sapientiæ diceretur COMES, supra mortales futurus, cui Infanti iam Angelica cessit portio, supra eruditos DOCTORES, qui non tenuiores Scien-

tiæ rivulos, aſt in Mariano Ave totum gratiarũ DEI exhauſit mare. Auguſtam Sapientiæ Domum ſuis viſceribus ambire conatus, vel inde individui COMITIS de Comitibus Ejus domeſticis ſortiturus nomen. Arcam fæderis ſibi adhærere niſus ut COMES, ſic Præſes largitionum illius dicendus. Videre erat ſcintillantes in THOMA ad optima quæq; igniculos, qui ut evidentiùs ardeant, Montem Caſſini petit, non tam ſcholaſtico adurente Phæbo, quàm Divini amoris æſtuans flammis Cælis ex ſe triumphalem accendit rogum, ut ſub Cælo clarè ad Illum Divina pateret Sapientia. In montibus equidem illa ſuam figebat ſtationem, THOMAS quomodo Eam comitari ſciret, niſi etiam in Caſſinenſi monte continuum cæleſtis curſus haberet exercitium. Quærit ſæpè à ſuo Magiſtro quid ſit DEVS? o THOMA! quaſi neſcias quòd Ille Anteſignanus Tu ſocius, Ille Dux, Tu COMES, Ille Flamma Tu Ejus maxima pars, Ille Sol, Tu radius luc idiſſimus. Vel quærit THOMAS quid ſit DEVS? ut Regis Regum non ſolus THOMAS COMES ſit, ſibi COMITI virtutes Cæleſtis hæredes Aulæ feciſſet etiam famulari. Hic omnes THO-

MÆ in ſtudijs greſſus ad normam Divinæ Sapientiæ erant, in ſublimi poſitus loco, illos ſublimes volvebat ſenſus, qui à Solius Altiſſimi non diſcreparēt mente. E Caſſinenſi Monte Neapolitanos Parnaſſi ſcandit colles, ſemper in eminenti videndus, nil humile præter ſolam de ſe opinionē remonſtrando. In ſcholaſticam Neapoli quoties viſus deſcendere arenam, toties contra ignorantiam docti ingenij vibrabat acumina, quæ Illi COMITI in deſenſionem Divinæ ſervirent Sapientiæ. Gloriatur Neapolitana Pallas, quòd ejuſmodi ſortita Diſcipulum, Cujus ab Angelicis dotibus plurima doctrinæ Ejus acceſsêre, plùs ſapere THOMAM, quam eam docere poſſe admirando. Perveniunt ad aures THOMÆ plurimæ Mundi artes, ſed non eo tramite, qui viam indicat & veritatem. Videt Alcinoos, ad ſua pomaria Heſperiorum æmula hortorum currentes, aſt illos peſſimi comites advertit Draconis, futuros Tantalos cenſet. Obſervat effuſo impetu ad Minoïs viridaria ruere Theſeos quibûs mille anfractibûs plenus adeſt Labyrinthus. Obryzeum alios ſequi ſplendorem, ridentiſq; Fortunæ comitari ſerenum ſtupet; iam illos diram patientes ec-

clipsim, non sine magno dolore videt. Contemnit itaq; THOMAS fluctivagas Mundi delicias, solidiorem religiosæ observantiæ appetit vitam, spernit divitias, quarum copiam suis plurimi claudunt arcis, & ea servando perdunt, quæ sua spargendo fecissent, spontanea æternùm dives volens fieri pauperie. Numerosô virtutum stipatus satellitiô THOMAS, dulcisono Musarum præeunte choro, iam stellatum Dominici in fronte Cælum scandit. Et bene; cognatam Cælis AQVINAS Familiam petit, magnos cælestium Scientiarum Parentes cum suis Illustrissimis Ceris in Orbe Dominicano quæsiturus. Angelicus Iuvenis in candore vestium Angelicis cætibus sociatur. COMES Divinæ Sapientiæ futurus, Ordinem Comitum Ejus sequitur. Perge THOMA, fausto Dominici sidere, quò Te virtus vocat, Astrum hoc quod comitaris ad Increatam Sapientiã Ducem aget. Numera stellas in hoc Olympo si potes, quotquot Doctores tot soles, tot lingvas cæli, interpretes DEI arcanorum habebis. Lucem inaccessibilẽ speculari cupis? non poteris commodiùs, quàm in umbris religiosis. Domino exercituum in comitatu Virtutum Tuarũ

milicare eligis? candido illuſtrium heroum Cætui, qui omnes Dominici ſunt, adjungaris. Magnus es, anguſtiæ mundanarum illecebrarum Te non capiunt, alium Tibi in Orbe Dominicano Orbem quære. Grandia ſunt virtutis & Sapienitæ decora, quæ Aquinaticis volvuntur Vndis: pulchra ſocietate creſcunt, concordi unione pretium acquirunt inæſtimabile, ne quando diſſociata pereant, ſtrictô religioſi voti vinculô obliganda. Et iam Cælum in cella ratus THOMAS, iam ad ardentem Dominici facem, diem ſe Dominicū ſine nocte habere credit, iam tranquillam, innocentiæ muſisq; amicam invigilante tædifero catulo ſecuriorē ducere vitam opinatur, mox invidia Virtutis comes, etiam Soli Aquinati eo pulchriùs in ſuo exorienti hæmiſpherio non parcit. Mundus tenebrarum quàm lucis amantior, ne cæcutire videatur in ſplendoribus tanti Sideris, tempeſtatem ciet, flammam meliores THOMÆ accendentem dies extingvere conatur. Maternus nimirum Theodoræ furor, nomini malè reſpondens, pacem turbat religioſam, dulce virtutis cum Sapientia vinculum rumpere meditatur, tam ſtrictam illarum inter ſe unionem, Aquinatico

co Mari non benè convenire, minaci vultu ostendit. Timet Aquinas, ne Parentis vesana rabies offendat in se par nobile Divinæ prolis, alias nunquã Increatæ Sapientiæ futurus COMES. Timet, & mox alio sub Sole pacatiorem quærit auram; concordem suis dotibus inter Galliarum lilia servaturus candorem. Quid agis o THOMA! vitas Charybdim, incidis in Scyllas! mollior est, quæ Te percellit Matris furentis ira, durior Fraternus sangvis, qui Te insequitur fugientem, ferit, prosternit, spoliat, ligat, in carcerem detrudit. Fallor, viâ Appiâ processit THOMAS, non in carcerem, sed in Capitolium, ut animorum victor, in Palatinam Domum ut COMES; nam virtus quidquid subintrat, condecorat. In Castrum Ioannis detrusus Aquinas propugnaculum virtutum, sedem Musarum occupavit; virtutes equidem & scientiæ ut custodiâ foventur, sic locum tranquillum amant. Ad Ioannem recurrendum erat, ut in gratiam Divinæ Sapientiæ reciperetur THOMAS, in COMITEM Ejus eligendus. Regia hæc placet Aquinatico Soli, ut, quæ Præcursoris Solis Iustitiæ nomine insignitur, COMITIS quoq; Ejusdem titulum sortiatur.

Contentus Aquinas quacunq; donatur sede, sed Mater furit, fratres murmurant, suô frustrati dolô, sorores instant, ut decipiant. Quid ages o COMES Illustrissime? Parum est, ubi Te amici comitantur hostes, hostem potentiorē time, qui si nequeat Superos, Acheronta movebit, ut arcē, quâ captivus arctaris, expugnet. Mulier est, vel saxa murorum, si Tuum non poterit animum, Paphio emollitura igne, ut Te adeat; imò iam ad ostium venit, pulchritudine Tuæ innocentiæ allecta. Sed appage hinc pulchra Turpilia! non est tuis de comitibus Aquinatis forma, ut Te appetat sibi similem. Cerussa hæc, quam in Te fingis, venustum virus, mors sub melle, fætidum cænum sub viridi cespite, sepulchrum dealbatum, Gomorrheum cum cinere pomum, speciosum in purpuris scelus est. Pulchritudinem THOMÆ Angelica puritas, comes Divinæ formæ, vita innocens, candidusq; pudor, ut vitrum rosam produnt. Non credis! THOMAS ardenti torre probabit, quàm sit contraria forma tua Illius verecundiæ, dum ex flammis tuis, undas lacrymarum producet. Iovem crede, de cælo suo contra Te fulminantem, ubi COMES Divinissimus ab arce

Ioannis ſemiambuſtô lignô Te arcet, quatit, exturbat. Fuge! fuge Megæra turpis! nuncia Cupidini, quòd etiam in frigidis carceris umbris ignibus non egeat Aquinas, ſacris Dominici accenſus tædis. Ita victor THOMAS, vix laſcivam Eumenidem, & flammanti titione, & Sanctioris vitæ lumine eliminavit à ſe, illico cæleſtes Intelligentiæ triumphantis innocentiæ comites, baltheô fortem Athletam præcingunt, Viro Principi, decorum inſigne offerunt, ut Comes Intelligentiarum ac Divinæ Sapientiæ noſcatur. Progredere de Caſtro bonis avibus COMES Diviniſſime, cujus auſpicato ad comitatum Divinæ Sapientiæ ingreſſui, plauſum dederunt cæleſtes Genij, Caſtrenſia faverunt jura; Progredere, en Patria Dominicanæ Religionis redeunti Tibi triumphales in face ſua accendit ignes, en Agrippina, quam tendendum eſt, eruditas COMITI ſuo inclinat laurus. Magnus Præceptor, Divina de Te oracula laturus, in Orbe Literario magnitudini Tuæ cedit. Inflammata ſemel neſcit miteſcere Aquinatis virtus, nec eget ſtimulîs innatus Illius diſcendi amor, imò melioribus cæptis, ſervidis conatibus ſu-

is ad-

is addit alas. Noverat Se COMITEM Scholarum THOMAS, in omni ſtudio doctioris Minervæ glorioſa inire certamina prætendit. Progreditur in Metropolim DOCTORUM, Lycæorum Principem Lutetiam, virtute prodromante, comite labore, ſummo naturarum Indagatori Alberto Magno adhæret. Dicitis Tyreſiā agentes Compalæſtritæ bovē THOMAM, quòd ſit laborum comes. Mutum, quòd comitate morū excellat, & profundum amet ſilentium. Non erraſtis; ſi bovis illius Aquinati nomen imponitis, qui ſacro declarante oraculo, currum Increatæ Sapientiæ trahit, vel qui ante Thronum Ejus in comitatu cæterorum, Divina meditatur arcana, aut qui in Zodiaco cæleſti Soli juſtitiæ obviam venit; ut comitetur. Formam bovis vobis fingentibus induit THOMAS, ſed quam ipſe ambijt Iupiter, ut pote Cujus vocem Tonanti ſimilem Præceptor æſtimat, ſtupet Orbis, hæreſis timet. Quid putatis Magni Magiſtri comites? ſi tantus Aquinas dum inter Alumnos præfert ſilentia rebus; quid ſi doctarum præmia frontium recipiet? ſi Doctorali de ſede loquetur altiùs? iam veſtro annuente

Prin.

Principe *non respondentis, sed Doctoris locum meretur*; iam stimulante Senatorio cæli ordine, ut Orbis videat COMITEM Divinæ Sapientiæ de Comitibus THOMAM, ad Magisterij vocatur munus. Adeste! quotquot dulces favos Scientiarum Platonico sumitis ab ore, quotquot Aristotelicum hauritis Eurippum, quos Athenæ fovent, Tarentum colit, Peripatus adorat, Corynthus magnos artium liberalium recipit Cultores. Adeste! quotquot nectare Ambrosij vivitis, quos vastum Gregorij alit ingenium, quorum animos Hieronymi stylus consolidat, quibus ab Augustino verborum pondus accedit, iam vobis de Comitibus ad comitatum Divinæ Sapientiæ THOMAS assumptus est. Date plausum eminenti in Cathedra Theologica DOCTORI, Cui vel Ipsi Cælestis Provinciæ Principes PETRVS cũ PAVLO applaudunt. Ille Comitem, Ovilis sui Custodem, Hic mansionum multarum in tertio Cælo scrutator Comitem Domorum Sapientiæ salutant Aquinatem. Et quis fidelior COMES Divinæ Sapientiæ? quàm THOMAS, quam fides Petri confirmat, quis major? quàm Ille Cui sublimia quæ

non licet homini loqui, à DOCTORE Gentium dictata sunt. Cælum cum suo Principatu delatũ esse arbitror ad COMITEM Divinissimũ, in Cujus pectore Phæbus Regiam, Sapientia Domum ædificavit. Exultat Orbis tam claro sibi Scientiarũ Thomistico allucente Phæbo, gemit Bucerus & clamat: *Tolle* THOMAM *& dissipabo Ecclesiam*, ubi de Throno Aquinatico Sapientiæ erumpunt fulmina, terrent hæresum monstra, contra fætidam Orci prolem, conclusiones feruntur. Quid si Aquinas proferat, quantorum sit, quæ de munere suo dispensat, cælestium bonorum COMES. Evolvantur quanquam grandia volumina librorũ, ad colligendam THOMÆ Summam, quæ eruditis impenditur Lycæis, tota in Orbe Literario plurimô mensuranda ævô colligatur arena, ad ponderanda doctrinæ Thomisticæ pretia; nec illa capiunt summum Aquinatis ingenium, nec ista adæquat lancem inæstimabilis valoris Ejus. Sed subscribit æterni Patris Character, quantus sit COMES eruditi Patrimonij sui THOMAS, dum in statera Crucis, Compendium mysteriorum DEI in Summa collectum æstimat: *Bene scri-*

pſiſti de me THOMA. Bene: quia nemo meliùs Divinam comitatus eſt Sapientiam, meritò COMES Illius prædicandus. Bonum elogium meretur Aquinas morientis Domini, qui patientis in vita ſecutus eſt Crucem adeò, ut etiam Archiepiſcopales fugerit, ne videretur pretiô illarum captus, minùs comitari Chriſtum. Fugit evanidos honores, ſed ubi ſedem Divina Sapientia figit, alachriùs properat. Tendendum erat ad Lugdunenſe Concilium, impellente Vicaria DEI in terris Poteſtate ad compeſcendos Averni furores, utq; integerrimus honor, nomen, laudeſq; maneant Orthodoxæ fidei, tollit moras, velociores arripit paſſus, ſed iniquis comitantibus fatis, in Foſſam novam incidit. Sic, dum fata morantur in Foſſa COMITEM Diviniſſimum, nuncia & interpres mentis Superûm ſtella cælo ab alto delabitur in frontem THOMÆ, ut inter aſtra referatur, qui aſtris digna geſſit, ut Phæbus Aquinaticus Phoſphorum præeuntem ſibi in Domum Sapientiæ æternùm regnantis comitetur. Hactenus per Auguſtæ Domus Aquinaticæ penetralia, Illuſtriſſimis mihi allucentibus Ceris, in plau-

sum THOMÆ Oratorias gradationes movi, hactenus per Orbem Dominicanū minùs rotundîs periodorum decurrebam circulîs, panegyricas texendo laudes; nunc iam ad supremi Regni migrante sedem COMITE Divinissimo, domi suæ, quam claudit Epilogus, imbellis manet Orator. Te Sacratissime Prædicatorum Ordo, veram Aquinatis imaginem comitando veneratur. Quotquot intueor Dominicanos, tot Comites plusquàm Palatinæ Comitum Purpuræ, quia Dominici Instituti Cultores, quia Divinæ Sapientiæ non tam Competitores, quàm Comprehensores veneror. Virtus THOMÆ cum Aquinatis undis tuum diffusa per Orbem, ad accensam Gentilitiam facem, vniuscujusq; Viri ad magna nati, ut in Te refert speciem, sic Pontificum Triregijs, Cardinalium purpuris, Archipræsulum Tiaris, Præsulum Infulis, Doctoralibusq; Mitris adornat. Nec mirùm, nam comes virtutis honos, apud alios sæpenumerò hospes, apud Te semper domesticus. Gratulandum est tantæ tuæ felicitati, Qui & cunctorum animos Aquinaticâ devincis Sapientia, & magnos Te comitari honores innatâ Tuâ

mome-

modestiâ stimulas; ergo triumphos age. Tu verò COMES Divinissime, Almam Matrem Vniversitatem Cracoviensem, quæ Angelicæ Tuæ comes est Sapientiæ, amplioribus Cæli favoribûs prosequi non desine. Exundet Tuum Aquinaticum Mare cælestibus gratijs, Cracia Metropolis fundit preces, ut fiat abundantia in turribus Ejus. Adextremum sequimur Te Omnes DOCTOR Divinissime, hoc Tua manuductione quærentes Regnũ, in Quo Tu COMES DIVINÆ SAPIENTIÆ de *COMITIBVS* majori celebraris plausu, quàm ego,

DIXI.